AUGUSTINUS
Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh. Seite 226r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



enim et dicit. Si occideris deus peccatores. uiri sanguinum declinate a me.
quomodo dicitis in cogitatione. accipient in uanitate ciuitates suas. Videtur
sic conecti ordo uerborum. Si occideris deus peccatores. accipient in uanitate ci
uitates suas. Sic occisos uult intelligi. cum per superbiam qua tumescunt. amit
tunt gratiam quam uiuunt. Sicut enim spiritus discipline effugiet fictum. et aufe
ret se a cogitationibus quae sunt sine intellectu. Sic occiduntur peccatores.
quia obscurati intelligentia. alienantur a uia dei. Amittunt enim confessionem
propter elationem. atque ita in eis occisis fit quod scriptum est. a mortuo homine tamquam
qui non sit. perit confessio. Et sic accipiunt in uanitate ciuitates suas. id est
populos suos uanos. eorum uanitatem sectantes. cum inflati iusticie nomine persua
dent. ut dirupto unitatis uinculo eos tanquam iustiores ceci et imperiti sequantur.
Et quia plerumque hinc inueniuntur occasionem separandi se ab unitate xpi. dum ma
los accusant cum quibus se communionem nolle habere confingunt. et quia fieri potest
ut non tantum infamem innocentes. quos tamquam malos se fugere simulant. sed etiam
uera de aliquibus malis sui similibus dicant. inter quos triticum xpi seruato uni
tatis uinculo gemit. propterea interposuit. Viri sanguinum declinate a me. quoniam
dicitis in cogitatione. accipient in uanitate ciuitates suas. Id est. ideo seducent
in separatione propria populos suos. uanitate propria corrumpendos. quia tu in cogi
tatione dices. uiri sanguinum declinate a me. ut scilicet merito superbie
peccatores in spiritu occisi propterea ciuitates suas hoc est populos suos in uanum ac
cipiant. hoc est in erroris uanitatem separando traducant. quasi offensi commixti
one palearum. dirupta unitate triticum deserant. quia ipsum triticum id est bonos
fideles monent. ut ante uentilationem quae nouissima uentura est. non aperte se
a malis segregent. ne adhuc eis commixtos deserant bonos. sed per bonam con
uersationem et dissimilitudinem uite. quodammodo tacite illis dicat corpus xpi.
uiri sanguinum declinate a me. Hoc enim eis uoce dei dicit. que uox in cogi
tatione est. sicut eam deus dicit in cogitatione sancti populi sui. Viri autem sangui
num qui sunt. nisi qui oderunt fratres. Sicut iohannes dicit. Qui odit fratrem suum.
homicida est. Hoc ergo non intelligentes occisi peccatores. quomodo dicat deus
malis in cogitatione bonorum. uiri sanguinum declinate a me. accusant in
eis communionem malorum. et se per has calumpnias separando. accipiunt in
uanitate ciuitates suas. Hec uox que modo in cogitatione bonorum dicitur
malis. aperta erit in illa die quando eis dicetur ab ipso capite nostro. Numquam
noui uos. discedite a me qui operamini iniquitatem. Nec autem dicit corpus
xpi quod est ecclesia. Quid est quod mihi calumpniantur superbi. quod quasi me maculent